

re valido corporis temperamento instructum fuisse oportebat. Debit populos & docere & sibi conciliare; quare vultu ad gratiam composito, suadela verbis addenda erat.

S. Thomas 3. par. 9. 14. ar. 4. egregie demonstravit, Jesum Christum una cum hominum exuviis assumpsisse pariter defectus naturae humanae communes, veluti sitis, famis, laboris & quietis necessitates; qui verò singularibus tantum hominibus peculiares sunt, uti caecitatem, egritudinem, deformitatem &c. reliquissae omnes, & eos maxime, qui consiliis suis repugnasse viderentur. Quare & deformitatem rejecisse par fuit, utpote quae consilio suo repugnasset maxime. At enim humilitatis & penitentiae spiritu, quod paternae justitiae fatis faceret, humilem illam & contemptibilem formam elegerat, simul exemplum se praebens gloriolae de corporis habitudine eleganti contemnendae. Sicut & omnibus abjectis divitiis paupertatem elegerat, ut exemplo illo insinuaret, divitiarum gloriaeque ambitionem esse contemnendam. Si enim ea fuisset Christo ratio deformitatem eligendi, cur planè non fuisset aegritudines omnes atque peculiares quorundam corporum imbecillitates assumendi?

Neque ii sumus, qui illum in Jesu Christo vultus gratiam conciliemus, quae muliebri aliquid & affectatum carnalibus oculis capiendis, & mollioribus excitandis affectibus plurimum valeret. Invidiosa utique ea res fuisset, & adversariorum obtreccionibus prona. Quid enim tunc non latrasent adversarii dum foeminarum satellitio stipatum cernerent, dum passim cum omnibus colloquentem, utentem hospitio Marthae & Mariae, ferentemque foeminam pedibus acidentem lacrymis pedes lavare, tergere comam (o); sicut & alteram alabastrum unguenti pretiosi capiti suo affudentem. Nonne invidiam in illum creassent, quasi lascivientis formae blanditiis molliorem sexum alliceret? Nunquam verò eam invidiam subisse legimus; ut argumentum ex eo silentio ducatur apertissimum, virili praeditam formam virum nihil praese tulisse, quod non aetati suae, muneris rebusque gerendis conveniret. Nitor micabat ex oculis & majestas quaedam, ad gratiam & ad venerationem compositus, ut intuentibus observantiam simul & amorem inspiraret.

Haec sunt, quae pro Jesu Christi formam congeruntur, nec omittunt spectatum nonnullis viris Sanctissimis per visum Jesum Christum jucundo atque florenti supra fidem vultu sese obtulisse. Sed haec minora sunt, quam ut alicujus ad rem praesentem habeantur momenti. Alius est enim Jesu Christi inter mortales agentis, alius in Caelo regnantis status; ut nihil dicam de hisce visionum generibus, quae sanè fidei sunt sublesta, multumque ad eas pingendas imagines confert hominum phantasia, variis praedictis, variisque corporis dispositionibus serviens. Quae igitur de Christi formam vulgò recepta est sententia, ea planè communi omnium plausu probatur; nec aliam patiuntur viri pietati atque orationi prorsus addicti.

Contraria verò de Christi minus spectata pulchritudine gratia & populi favore, minus valet. Vix enim apud Christianos invenias id sibi fuscipientes, ut contra Servatoris formam conspiciant; vixque aliquos id revocantes in dubium sine stomacho sustinentes. Nihil in cathedris frequentius sonat, quam hujus hominis Dei speciosi praese filii hominum elogium; pietatis & religionis Libri utramque de illis paginam implent. Fateamur tamen oportet, quae contra speciem Servatoris afferuntur momenta, ejus esse ponderis, ut adversam opinionem ex aequo ut minus sustineant.

Isaias 52. 13. 14. 15. & 53. 1. 2. 3. &c. Redemptoris humani generis imaginem his verbis depingit: *Congregabit vos Deus Israel; ecce intelliget servus meus. Exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valde. Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus, & forma ejus inter filios hominum. Ille asperget gentes multas (nempe beneficiis), super ipsum continebunt Reges os suum: quibus non est narratum de eo, viderunt; & qui non audierunt, contemplati sunt. Quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti: Non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum despectum & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem; & quasi absconditus vultus ejus & despectus, unde nec reputavimus eum. Et nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras &c.*

Verba ista Prophetae ed magis ad rem praesentem valent, quod ipsis fatentibus Patribus, & Commentatoribus, ita de Jesu Christo prolata sunt, ut praeter illum nemini quadrent. Non semel autem in illis ingeritur inelegantia vultus, in quo nil sanè ad amorem & desiderium sui spectatur. Idem Apostolus insinuat ad Philipp. 2. 7. Christum humanam naturam indutum, servilem formam assumpsisse. Jo. 20. 15. legimus Mariam Magdalenam viri specie illufam, hortulanam reputasse illum, quem demum Christum novit. De pulchritudine ejus ne verbum quidem ullibi locorum in Evangelio; cum interim nihil omittant Evangelistae. Matth. 17. 2. Mare. 9. 1. totam transfigurationis historiam describunt; quo tacito documento insinuant, alterum eam temporis circumstantiam, quam soleret, apparuisse. Nitor tunc fulgebat in vultu, ut solem radiantem crederes, candor niveus in vestibus.

Abarbanel in Il. 53. vidisse sibi videtur in oraculo Prophetae virum vultu, & habitu corporis neglectum, melancholiâ tetrum, & corpore imbecillum; quod sibi valido esse argumento credit, ut ea Prophetae verba à Messia detorqueat, quem sapientum Christianorum confessio aspectu decorum, & ad gratiam composito depingit. Bonus ille quidem Judaeus, sed malus Logicus.

Vetustissimi è Patribus, quorum magni esse

esse momenti autoritas in ea re debet, utpote quod adhuc supersessent recentissima, & purissima traditione confirmata monumenta, quae indubiam reddebant de forma Christi fidem, veluti statuae & imagines è vivo expressae; veteres, inquam, illi expressum pro inelegantia Jesu testimonium ferunt. S. Irenaeus l. 3. c. 19. nov. edit. pag. 212. olim. c. 21. ita scripsit in rem nostram de Christo: *Homo indecorus & passibilis. . . . Dominus Sanctus, mirabilis, & consiliarius, & decorus specie.*

p Orig. cont. Cels.

Hanc vultus & natalium Jesu Christi obscuritatem vitio Christianis vertebat Celsus Epicureus; quod ex vulgato rumore acceptum contra Divinitatem J. Christi tanquam telum jaciebat (p). Quis enim ita impius, ille calumniabatur, unquam induxerit in animum, ut credat Spiritum S. male compactum adeo sibi contubernium elegisse? Planè si vir ille vulgarem mortali conditionem excessisset, conditionis suae insignia non recusasset, procerò & bene constituto corpore spectandum offerens sese, cui nihil deesset ad gratiam, non vox, non indeoles, non eloquentia; quare nec Deum fuisse oportet.

Ad hoc Origenes fateri se dixit, Jesum C. formam inelegantem fuisse, sed in iis quae ad genus & familiam spectant, non nisi per calumniam obscuritatem à Celso obiecti, sicut & eadem fide de humili illius statu quaedam jactasse. Isaiam verò oraculo suo tantum praeannunciassent futurum, ut J. Christus neque formam spectatam, neque infuetis corporis dotibus supra mortale sese extolleret. Fatetur igitur Origenes, nil singulare in vultu Jesu Christi apparuisse, quod latentis divinitatis indicia proderet.

q Pedag. l. 3. cap. 1.

Clemens Alexandrinus, Origene veterior, in Isaiam vaticinio praeannunciatum agnoscit, nil in carne J. Christi, quod oculis caperet, spectandum. *Vidimus eum, ait Propheta, & non erat aspectus, neque decor (q). Quis autem Domino praestantior? Sed non carnis pulchritudinem, qua visio apprehenditur, sed veram animam & corporis ostendit pulchritudinem; anima quidem beneficentiam, carnis verò immortalitatem.*

Et Strom. l. 1. Philosophi sententiam laudatam, sapienti scilicet nil ad pulchritudinem deesse, nihil etiam defuisse Justis concludit, ut venustissimi haberentur, etsi indecoro essent aspectu; morum enim sanctorum, & ad normam recti conformata vita pulchritudo est. Laudat in eam rem illud Isaiam: *Aspectus ejus, & forma ejus inter filios hominum.* Et l. 3. Strom. Ipse qui est caput Ecclesiae, in carne quidem deformis, & specie carens transit, docens nos respicere ad id quod est Divina causa, inaspectabile, & incorporeum. Et l. 6. Strom. Jam verò Dominus non frustra voluit uti vili & humili forma corporis, ne quis speciem laudans, & admirans pulchritudinem, abstat ab iis, quae dicuntur; & attendens iis, quae relinquuntur, ab iis abducatur, quae percipit intelligentia.

S. Cyrillus Alexandrinus paria sensit cum Origene, & S. Clemente. Hujus sunt *Disert. Calmet. Tom. I.*

verba in illud Psalmi: *Speciosus forma praese filii hominum (r).* Nemo potest dubitare, quin pulchritudo intelligatur de ea, quae est in gloria, & natura Destatis omnia superantis, quandoquidem carnis gloriationem nemo adscripsit Christo, nec in gloria ipsius censuerit. Absit hoc, totum enim mysterium incarnationis suae est exinanitio & humilitatio, sicut scripsit de eo Isaias Propheta: *Et vidimus ipsum, & non habebat speciem, neque pulchritudinem.*

s Tertull. de Idololatr.

Tertullianus ceteris disertius idem asseruit; ita enim de Christo: *Vultu & aspectu inglorius (s).* Et adversus Judaeos: *Ne aspectu quidem hominis; & de Carne Christi: Adeo nec humana honestatis corpus fuit, nedum caelestis claritatis.* Id autem, addit ille, quando sub ipsis ferè oculis non exhibuissent Prophetae, abundè tamen persuaderent tormentis, quibus afflictum ejus corpus confectum est. *An ausus esset aliquis ungue summo perfringere corpus novum, sputaminibus contaminare faciem non merentem? Voluit J. Christus in sinu Matris concipi, voluit praescriptum puerperio tempus expectare; voluit augmentum aetatis, adolescente sensim corpore, sentire. Adultus jam proderet se atque in publicum ostendere non festinat: sed contumeliosus insuper sibi est, nempe servilis vultus ignobilitate (t).*

t Idem de Patientia.

S. Augustinus Serm. 20. de verbis Apostoli, decorem quidem in Christo agnoscit, non tamen in corpore: *Ut homo non habebat speciem, neque decorem. Sed speciosus forma ex eo, quod est praese filii hominum.* Et in Psalmo 118. *Et ipse Sponsus non carne, sed virtute formosus.* Addit in Psal. 127. *Judaeos nunquam commissuros, ut manus in illum injicerent violentas, siquidem nossent internam ejus cordis pulchritudinem. Quidquid autem in extima corporis superficie parebat, illud norant tantummodo; Nisi sordum putarent, non insilirent, non flagellis caderent.* Et de verbis Apost. Serm. 20. deformitate Christi reddi nos formosos docet. *Si enim, ait, ipse deformitatem recusasset, formositas nostra nos perdidisset; illo enim deformis in cruce appensus, deformitate sua formosus nos reddidit. Imitemur igitur atque complectamur deformem Jesum in hac vita, cruci inheremus, atque in ejus passione gloriemur.*

Idem S. Doctor Serm. 95. in recenti Collectione Operum illius primò vulgato, concilians duos simul Prophetas Isaiam, & Psalmistam, quorum primus omnem ab aspectu Christi gratiam alegant, alter speciosissimum praese filii hominum celebrat; docet Psalmistam de Jesu Christo Deo egisse: *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, juxta Apostolum ad Philippenses 2. 6. Prophetam, verò humanam ipsius naturam praese oculis habuisse, de qua scriptum legimus ad Philippenses 3. 7. Somet ipsum exinanivit, formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Concordant ergo, subdit Augustinus, ambo pacifici. *Quid est speciosus Deo? Quid deformis Crucifixo?*

ZLL 3 NI-

Nihil hic ego de Imaginibus, quas jactant, de sudariis impressam Christi faciem representantibus, neque de nummo illo vetustissimo apud P. Vavassorium De forma Christi cap. 2. qui scilicet nummus P. Sirmondo, dum Romæ versaretur, exhibitus Christi vultum præferebat ad severitatem potius & austeritatem, quam ad gratiam & amorem compositum. Hujus enim generis monumenta, quorum plerumque nihil minus est quam asserita veritas, suspecta sunt Eruditis. Sudaria verò imagines quidem sunt, quarum arbitrio vix ac ne vix hujus rei controversia committeretur. Nihil enim in illis (quando explorata esse antiquitatis fateamur) nisi male expressa quædam lineæ, quæ vix prima vultus rudimenta designant.

Ex his, quantum arbitror, satis colligimus, veteres Patres, sententiæ de pulchritudine Christi parum fuisse, parum etiam primos illos Fideles, quibus eâ de re creata à Paganis invidia. Neque id exprobrantibus, veritatem negabant Christiani: quæ ab illis probro esse credebantur, hæc sibi Christiani gloriosa censebant. Plus enim ad admirationem & divinitatem Jesu Christi commendandam faciebat, si vilis ille, & contemptibilis homuncio, nihil habens adjumenti five ex generis qualitate five ex industria, scientiæ famâ & gratiâ tantum nihilo factus valuisset, ut hominum immensam turbam sibi devinceret, cœlestem ad eum doctrinam per mundum spargeret, totumque demum universum tam prodigiôsâ reformatione immutaret. Hæc enim, quæ in viro eloquentissimo, venustissimo, cui nihil deesset & studii & eloquentiæ & authoritatis miracula fuissent; quis non magis in eo viro emicare obstupuisse? Appollonius Thyæneus vir formâ spectabilis, eloquentiâ summus, præstigiis, industriâ, fictorum miraculorum famâ illustis, nunquam tamen tantum valere potuit, ut 12. sibi Discipulos adscisceret; Cùm Jesus Christus nec aspectu nec eloquentiâ gratus, excellentiâ doctrinæ & prodigiorum suorum omnem ad se mundum pellexerit. Hæc pristinis illis Fidelibus veritatis Christianæ fidem faciebant.

Vetus illa traditio cœpit tandem sub ipso S. Chrystostomi ævo sensim in adversam opinionem degenerare. Sed S. Hieronymus eodem loco in Matt. 21. ubi nitore quodam micuisse vultum Jesu Christi asseruerat, cujus fulgore præstricti negotiatores illi in Templo versantes, ne pervicaciùs Jesu Christo resisterent prohibiti sunt; eodem, inquam, in loco fateatur, vilem ad eum & contemptibilem intuitum oculis apparuisse Christum, ut à supplicio crucis in illum decernendo Judæi non detererentur: *Mihi, inter omnia signa quæ fecit, hoc videtur mirabilius, quod unus homo & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, ut postea crucifigeretur &c.*

Postquam opinio de specie Christi præfiliis hominum superiora tenuit apud Fideles, identidem tamen Scriptores prodierunt, qui veterem opinionem innovantes,

eadem de hoc argumento, quæ Patres primorum sæculorum, senserunt. Michael Medina lib. 2. de reâ in Deum fide cap. 7. qui Concilio Tridentino præfens adfiterat, docet, illud fuisse corpori Jesu Christi temperamentum, quod maximè conveniret homini sapienti & studiis dedito. Addit deinde nihil esse, quoddan vane illorum persuasione deferamus, qui nullo fulti argumento autumant, Jesum Christum formâ spectabilem supra cæteros mortales fuisse; unde felicissimum ejus temperamentum colligere sibi videntur. Hujus opinionis, inquit Medina, nullum est fundamentum, nisi in locis quibusdam Scripturæ, five in sensu allegorico tantum, five de spiritali ejus pulchritudine ejusque Divinitate exponendis. Hæc ille, additurus pariter, si fortè succurrisset, contigisse non rarò, ut ad gratiam compositus vultus pictaque facies temperatum haberet iniquius. Sicut vicissim infelix oris habitudo feliciori gaudet humorum mixturâ.

Cornelius à Lapide in Isai. 53. 2. hæc de Jesu Christo docet: *Non erat aspectabilis; non habebat aliquid dignum aspectu, quod oculos aspicientium ad se traheret; sed erat despectus.* Addit deinde, Isaiæ vaticinium de Christi deformitate fidem suam habuisse & in passione ipsius & in reliqua ejus vita universa. Scitum, est eandem sententiam in Differtatione speciali, ad calcem Operum S. Cypriani à se editorum, D. Rigaltium asseruisse. Author Commentariorum in Isaiam 53. sub nomine S. Thomæ vulgatus, docet, Jesum Christum suam occulisse sub imbecillitatis velo pulchritudinem: non deerat viro five nitore, five gratia, sed velamento paupertatis occultata. Nos, ait, illum in corpore vidimus, nihil spectavimus ejus majestatis, quam Vetus quidam Regi Priamo attribuit, qui vultu Regiam majestatem præferebat.

Possent in eam sententiam plures alii Commentatores laudari, veluti Grotius, Mariana, alique. Eusebius Cæsariensis in illud Psal. 44. *Speciosus formâ præ filiis hominum, docet verba illa non ad formam aliquam corporis, sed ad immunitatem à peccato referenda, neque enim, ait ille, contrarius est Psalmista Isaiæ: Vidimus eum & non erat aspectus; non erat species ei neque decor.* Geminus est Eusebio Theodoretus in Psal. 44. neque dissentit S. Basilus in Isa. 53. cui tota Jesu Christi venustas non in justa membrorum œconomia neque colorum picturâ, sed in natura Divina spectatur. Eadem legas apud Tertullianum in Marcionem lib. 2. cap. 17. S. Cyrillum in Isaiæ 53. & lib. 1. Glaphyr. in Exod. S. Ambrosium Epist. 1. class. Epist. 29. ad Irenæum, S. Isidorum Pelusiotam lib. 3. Epist. 130. & Pseudo-Hieronymum Comment. in Psalmos, Psal. 44. alioque non raros.

Est igitur cur diligenter distinguamus inter Isaiæ vaticinium, quod ad literam interpretetur oportet, & de inelegantia aspectus Jesu Christi à priscis quam pluribus Patribus atque Interpretibus exponitur;

&

& sententiâ Psalmi 44. de pulchritudine Jesu Christi, quem scilicet textum Interpretes exponendum mystico & figurato sensu de spirituali quadam Jesu Christi pulchritudine à Divinitate & morum sanctimoniam petita consentiunt. Primum illud vaticinium potest in argumentum adduci, alterum non, nisi moralem & figuratum sensum patiat.

Hæc majoris momenti argumenta afferuntur pro ableganda à Jesu Christo omni spectatæ formæ elegantia. Nunc laborandum est nobis, ut inter duas hæc sententias media inveniatur, quæ nec foeditatem nec pulchritudinem, sed medium quid Jesu Christo tribuat.

Est quædam in hominibus venustas mollior planè & lascivior, quam quæ Jesum Christum deceret. Hanc ab eo prorsus ablegamus, quippe quæ repugnet ideæ de illo in Sacra Scriptura traditæ, cum neque in laboribus, in paupertate, in rebus ad veris tolerantis exactæ vitæ conveniat. Hunc enim scimus virum fuisse dolorum & victimarum expiandis morte suâ mundi scelerebus destinatum; nimium proinde abhorruisse à blanditiis lascivientis vultus, à roseis genis & risu, quæ carnalem gratiam, & hominum molliores affectus pelliciant. Itaque si in eo viri pulchritudo constituitur, omnem à Christo ablegare pulchritudinem non invitæ assentimur. Nihil ille ad acquirendam & augendam venustatem five studii, five industriae contulit; quin & laboravit plurimum, ut si quam habuisset, penitus exterminaret. Si quis verò in aliam extremitatem recidens contendat, nihil fuisse in Jesu Christo nisi fœdum, & deformem, tristem illum & servilem retulisse vultus corporisque habitudinem, os austerum & torvum, vocem asperam, fractam, & inconditam; plenam invidiâ hanc illius picturam tamquam blasphemam, & humanitati filii Dei injuriôsâ toto abjicimus spiritu.

Medium igitur quid statuamus oportet, ut nihil ipsi five insigniter fœdum, five egregiè pulchrum tribuamus. Visus est igitur in mundo tanquam mortalium aliquis, justam hominum staturam attingens, nihilque habens supra vel infra vulgarem, seu turpitudinem seu venustatem. Color erat viro, uti facile credimus, fuscus, instar Judæorum Palestini; indolem spiravit facile bellicam, & martialem Galilæorum, (u), juxta P. Vavassorium; justam hominum staturam multum sanè non excedebat; ut quid enim alioqui Zachæus spectandi viri gratiâ, cum præ turba non posset, sycomorum ascenderet (x)? Nec auctoritati Nicephori, aliorumque ejus generis deferendum aliquid arbitramur; sicut & ambigua sunt argumenta in eam rem picturæ, sudaria, & nummi; nulla enim explorata antiquitatis pictura, five scriptum aliquod authenticum superest, quo de forma Jesu Christi ejusque statura doceamur. Quam Hemorrhoiâ statuam crexerat, quam Alexander Mammæus in suo Larario servabat imaginem, quam Jesus Christus misit ad Abgarum Regem, five Marcellina Carpocratiana colebat; hæc,

inquam, omnia adeo intercidisse constat, ut nulla earum descriptio superfit.

Quæ S. Joanne Damasceno, & Nicephoro authoribus legitimus de fulgore oris Jesu Christi, quo perstrictus, missus ab Abgaro pictor ab opere prohibitus est, hæc sanè majora sunt, quam ut Authoribus hisce sequioris ætatis solis & sine teste credantur. S. Hieronymus, & S. Chrystostomus in ea fuerunt sententiâ rutilantem è vultu Jesu Christi fulgorem in suam amorem morales omnes rapuisse. Quæ si vera essent, de luce quadam oculos corporis perstringente; non fuisset planè cur virum floccipientes didicerent Judæi Matth. 13. 55. & Marc. 6. 3. *Nonne hic est Jesus filius Joseph, Fabri filius? Nonne sorores ejus nobiscum sunt?* Si insolito vultus nitore occultæ Divinitatis specimen exhibuisset, in tantam ne prorupissent audaciam Judæi, Romanique, ut manus in illum injicerent violentas (y)? Priscis illis fidelibus neque studium planè deerat, neque facultas noscendi, quæ Jesu Christo forma esset, statura & majestas; nihil autem illi eâ de re speciosum produnt. Quis credat unquam, illos, siquidem aliquid animadvertissent supra vulgare in imaginibus & statuis Jesu Christi, nihil curasse, ut tantæ rei memoria ad posteros transmitteretur? Ex quibus omnibus illud conficitur argumentum, Jesu Christi formam eque à singulari deformitate, & venustate abuisse.

Plerique è Patribus, quorum supra in utramque sententiam testimonia laudavimus, in hanc nostram opinionem convenisse videntur, five cum eorum mens ferri in examen revocatur, five cum expressis mentem suam prodiderunt. Vaticinium illud Isaiæ: *Vidimus eum, & non erat ei species neque decor;* revocant ad tempus Passionis, cum scilicet probro, ictibus, & sputis fœdato vultu triste sui spectaculum intuentibus præbebat (z). Alii verò exponunt de obscuro, atque ab hominum luce, & fuco vitæ genere, quod sibi Dominus elegerat (z). Origenes fateatur quidem Scripturam de inelegantia aspectus Christi ferre testimonium; nusquam autem ibidem legitur, ait, fœdum aliquod, atque pigram staturam illum præfeturisse (*); ex quo nihil supra vulgare in illo apparuisse satis designat. Hæc genuina Origenis sententia. S. Clemens Alexandrinus, & Tertullianus de forma Jesu Christi agentes, nimii quidem sunt, quibus, si dicti sui idoneum aliquod testimonium attulissent, egrè fidem addiceremus; nunc autem futiles ad eum in illud rationes atque ultra intentum probantes adducunt, ut nihil illis deferendum credamus. Vix autem persuaderemur, constitutis à Jesu Christo consiliis fœdioris vultus deformitatem plurimum contulisse. Abhorruit igitur à deformitate tantum quantum ab ejus necessitate abfuerat.

S. Augustinus, & S. Bernardus suas laudes pulchritudini vicissim, & deformitati pro sua singulis ratione contulerunt. Possent hic in utramque sententiam testimonia illorum recitare; nec id quidem injuria

Y 1. Cor. 2. 8.
& Aug. in
Psal. 127.

† Theodoret.
Eusebius, Hieron.
in Isai. 52. & 53. &
in Epist. ad Principiam.
& in Psal. 44.
Chrystost. in
Matt. 8. homil. 28.
Cyrill. in Isai. 53.
Procop. in
eundem locum
Bernar. Serm. 26. & 28. in
Cantica.
z Chrystost. in
Psal. 44.
* Contra Celsum.

u Joseph. de
bel. l. 3. cap. 4.

x Luc. 19. 2.
3. 8.